



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Ildephonsus Ep. 23. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

manum unquam subduxit, ut meritò id certaminis cum DEO suscepisse sit visus, plùsne hic dare, an reddere ille posset. Munificentiam vel ex eo vide, quòd ultimum ægrotanti unicus super teruncius fuerit vix naulum morituro. Ipse in testamenti sui tabulis reperisse ingenuè se fatetur in ærario auri pondo octies mille, & hæc decies millies, & amplius aucta dilapidasse se in pauperes gloriatur. Anno igitur D.XCII. è corporis ergastulo in palatium abiit, quod piæ ipsius munificentiae structū in cælo Troilus vidit, & verò invidit postea, cum tam bonæ prodigalitatæ æmulus est factus. Venienti obviam JOANNI sua è cælo Sponsa processit cælestis aulae cubiculario comitata, manuque peramanter prehensum ad DEI conspectum deduxit. Ipse JOANNES nec mortuus sibi dissimilis, oleo, quod è tumulo suo dedit, in miseros mitis esse perrexit. *Ex Surio.*

Nihil aliud, qui conversaris in seculo, exigit à te Deus, quàm ut mandata illius custodias, proximum diligas, & pauperibus alimoniam prabeas: Eroga igitur inopiam patientibus, quod tibi præstitum est, ut in calo recondas thesauros imprædabiles. B. Laur. Justin. de complanct. Christ. perfect.

S. ILDEPHONSUS EP. 23. Ianuarii.

DEbemus hoc sidus (ILDEPHONSVM) Hispaniæ, in quâ ortum ad nos usque (uti ferè solet virtus) radios transmisit. Juventam egit in Musarum familiaritate, quibus propitiis magnam eloquentiæ laudem sibi comparavit. Ab his in adyta sanctioris sapientiæ se penerravit, sustinuitque inter monachos repuerascere grandis discipulus. Ab his ad insulam Toletanam abstrahitur, tam orbis quam

quàm cæli amor. Et hem tibi ejus rei unum alterumve testimonium. Precanti Angeli tumbam S. Leocadiæ recluserunt, & Diva ipsa flammeum suum obtulit; unde ille abscissam partem unâ cum Regis Receswindi cultro, & ipso tam sancti velaminis tactu jam sancto, argento inclusit. VIRGINEM MATREM principe semper studio coluit, ejusque SS. integritatem insigni volumine contra hæreticos edito propugnatum ivit. Nec gratis. ASSUMPTÆ siquidem in cælos die, cum supplicabundus cum suis templo proximus jam esset, Cælitum manus fores pandit, & virgines inter VIRGO MAXIMA in sede Pontificali conspicua, eidem vestem mirifici candoris donavit. Ea hodieque religiosè asservata docet, quo filios suos Magna Mater uti vestis, aut certè animi colore cuperet. *Ex Surio.*

Talis fuit Maria, ut unius vita omnium disciplina sit; Si igitur autor non displicet, opus probemus; ut quicumque sibi ejus exoptat præmium, imitetur exemplum.
S. Amb. de Virg.

S. BABYLAS EP. M. 24. Januarii.

EUm ego triumphum laudo Divorum, quem non soli ducunt in cælum, sed cui comes servata juvenus ambulat. Talem hodie BABYLAS duxit. Fortè templo se Antiochiæ inferre Decius properabat; cum adventanti BABYLAS Antistes se objecit, & pro eâ, quâ erat Christianâ libertate, cani tyranno aditum interclusit. Hic in rabiem versus, templum ferro flammisque excindi, BABYLAM jubet in carcerem abripi. Ecce autem nobilissimam vinculorum magistri appendicem ter geminos adolescentulos (URBANVM, PRILIDIANVM